ÆGYPTUS TRIUMPHATA.

Poema Sacrum.

Autore
WILH: DILLINGHAM, S.T.P.



LONDINI,
Typis *Milonis Flesher*, & prostat apud *Ric. Royston*,
Sacræ Regiæ Majestatis Bibliopolam. M DC LXXX.

574.

ÆGYPTUS TRIUMPHATA.

MAgni gesta Dei, cœlo qui fulminat alto,
Omnia qui solo nutu fecítque regítque,
Idem Exercituum Dominus, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti,
Dicere fert animus, plenúmque horrore duellum.
Tu, Vati magno qui tot miracula rerum
Et facere, & scriptis committere posse dedisti,
Spiritus alme, meam perfundas lumine mentem,
Et rebus dignas dones in carmina vires.
Sic Tibi non ficto famuletur carmine Musa:
Sic aliqua è nostro surgat Tibi gloria versu.

QUamprimùm Omnipotens, magnus, sanctúsque *Jehova*,
Ærumnas populi & casus miseratus iniquos,
Promissíque memor Patribus quod fecerat olim,
Isacidas voluit *Phariis* excedere terris,
Venit in *Ægyptum Moses*, legatus ab alto
Interprésque Deo; non jam tremebundus, ut olim,
Cùm Regis fugiens iras, patriámque novercam,

Magnæ divitias & honores linqueret aulæ;
Sed fidens animi, Cœli diplomate, toto
Armatúsque Deo; nulli violabilis hosti.
  Namque huic Omnipotens, soceri dum pasceret agnos,
E flagrante rubo divinas edere voces,
Ut populum educat, quamvìs frendente Tyranno,
Multáque *Niliacis* edat miracula terris.
Quóque fidem faceret præsens illi affore Numen,
Et rata facturum quæcunque pararet ab Ipso,
Inficiénsque manum leprâ, sanánsque monebat;
Inque anguem virgâ conversâ, iterúmque receptâ.
Restabátque aliud, magìs & mirabile, monstrum;
Virga manet quæ virga fuit, mutatur & ipsa:
Non specie, at virtute tamen mutatur, & usu.
Nam modò quæ fuerat pastoris virga, pedúmque,
Nunc eadem fit virga Dei, sceptrúmque Tonantis;
Quo populúmque regat *Moses*, & conterat hostes,
Mirificísque modis flectat mortalia corda.
  Hâc valuit totum convellere sedibus Orbem,
Naturámque ciere omnem, novítque citare
Innumeras acies parvarúmque agmina rerum.
Fulgura cum tonitru potuit deducere cœlo,
Ac tenebras Erebi certis affundere terris;
Quinetiam populis diras immittere pestes.
Noverat & liquidi fluctus siccare profundi,

Et puros latices duris depromere ſaxis.
Noverat immanes terræ diffindere fauces,
Mortaléſque etiam vivos demittere in Orcum.
Sic voluit Numen, juſſit cùm ſumere dextrâ
Argumentum ingens Sacramentúmque *Jehovæ.*
  Ergò ubi tendenti *Ægyptum* eſt comes additus *Aaron*,
Germanus frater, fidus, fandíque peritus,
Auſpiciis monitúque Dei; tum protinus ambo
Hebræam gentem inviſunt, prolémque *Jacobi*,
Tunc *Ægyptiacæ* telluris parte per annos
Bis jam ducentos, peregrinâ ſede, morantem,
Ac vitam miſerè vix, ſub tortore, trahentem.
  Ah falſa *Ægyptus*, nullíſque inviſior auſis!
Siccine apud memorem veteris ſtat gratia facti;
Cùm te *Joſephus*, divinâ præditus arte,
Eripuit letho, ſtrigosáque monſtra peremit;
Cùm totam *Ægyptum* regali acquireret aulæ,
Atque Orbis gazas *Pharaonis* conderet arcis?
Hoſpitii ſic jura tenes, gens perfida? quámque
Allêxti quondam, ſatagis nunc perdere gentem?
Non ſic pollicitus *Pharao* dum vita manebat;
Non ità credebat *Joſephus*, providus Heros;
Perfidiam aut tantam poterant ſperare nepotes,
Qui coctos inter lateres uruntur & ipſi,
Duris imperiis preſſi, duróque labore.

His

His mandata Dei pandunt ; útque ille ſuorum
Reſpexit duros oculo miſerante labores.
Quin etiam tempus quoque nunc inſtare monebant ,
Quo Deus hos gente ex iſta , vel vindice dextrâ ,
Eriperet, ſanctíſque daret conſidere terris.
Ac veluti in patriam reducis (quem militis ira
Captivum abducens diuturno carcere clauſit ,
Tandem at libertas , multos ſperata per annos ,
Reſpexit miſerum , patriâque in ſede locavit)
Mutatos vultus vix agnovêre parentes ;
Poſtquam at paullatim emergit, creſcítque tuendo,
(Compertis matri ſignis teſtantibus ipſum)
Itur in amplexus , atque oſcula dulcia figunt :
Sic *Hebræorum* triſtes , multóſque per annos
Triſtibus aſſuetas pertentant gaudia mentes ;
Et primò ſuſpecta quidem ; at miracula poſtquam
Conſpexêre manûs virgæque , ſigilla Tonantis ,
Evigilare ſibi viſi, mox pectore toto
Lætitiam accipiunt , & cœli Numen adorant ;
Imperium agnoſcunt , monitis parére parati.
Tum gemini fratres , *Moſes* ac fidus *Aaron*,
(Quos & Primores populi comitantur euntes)
Regis ad auguſtas ædes veſtigia flectunt.
Quem quum convenêre , incedentémque ſuperbè
Conſpexiſſe datum , conceſſáque copia fandi ,

Sic

Sic prior huic *Moſes :* " Magnus Sanctúſque *Jehova*,
" Quem nos *Hebræi* colimus, Deus, hæc tibi dicta &
" Juſſa referre jubet ; Populum dimittito noſtrum,
" Sacra mihi ut faciat, laterum ſecurus, Eremo.
" Tridui abhinc iter eſt. Proles dilecta *Jacobi*
" Eſt primogenitus mihi ; Tu dimiſeris ipſum.
" Ni facias, faciam Ipſe tuus moriatur ut Hæres.
" Hîc ſpecimen ſpecitur ; ſunt hæc mandata Tonanti.
Dixerat. At *Pharao*, furiatâ mente ſuperbus,
Conſtitit, inſolitâ defixus imagine rerum.
Haud aliter quàm ſi Venator quando leonem
Secuıè gradientem, occultus tegmine ſylvæ,
Vulnerat infixâ per dorſum immane ſagittâ ;
Is ſtupet attonitus primùm ; mox colligit iras
Ingentes, oculóque truci circumſpicit hoſtem :
Sic *Pharao* ingentes motus in pectore verſat,
Et, varius, mentem nunc huc, nunc dirigit illuc,
Incertus num bella paret ; num perderet omnem
Hebræam gentem ; aut conſunderet oſſa cerebro
Legati, qui voce auſus temerare minaci
Haud unquam dictis aſſuetas talibus aures.
Sed poſtquam immanes animus decoxerat iras,
Sic viſus ſapere eſt. Quoniam nulla arma parare
Viderat, at nudis Vatem confidere dictis,
Ac impunè minas contemni poſſe putabat,

Ergò placet ludus, verbíſque retundere verba.
Tandem hæc ſubridens mente indignante reponit.
"Ecquis at ille Deus, qui noſtra invadere regna
" Cogitat, *Ægypto* ac noſtros abducere vernas?
" Nam neque, quem memoras, Dominum ſcio; nam neq; juſſa
" Ignavus patiar; Populum dimittere nolo.
Tum *Moſes.* " At ſiqua tamen miſeratio noſtrî,
" Hanc veniam oramus, (ſaltem miſerere tuorum)
" Oramus, per te liceat parére Tonanti.
" Nè nos committas (petimus) cum fulmine; neu ſint
" Imperia imperiis, juſſis contraria juſſa.
" Quin liceat noſtrum ſacris placare *Jehovam*;
" Nè nos, neglectus, ferro vel peſte ſequatur.
Talibus orabant Regem ſermonibus. atqui
Non magìs ille malis populi, precibúſve movetur,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet *Marpeſia* cautes.
Quinetiam precibus ſtomachum ſibi ducit ab ipſis;
Concipiénſque novas flammas mens ſæva Tyranni
Et reſides animos incuſat, dictáque vana;
Affirmátque vetus, ſubducto ſtramine, penſum.
Ergò *Niliacos* latè ſparguntur in agros,
Materiémque operi ſtipulam, pro ſtramine, quærunt.
Talis vere novo volucres, ubi, prolis amore
Impulſæ, ſatagunt geniales condere nidos,
Exercet per rura labor, campóſque per omnes

Mittit,

Mittit, ut exiguis quærant ſarmenta tigillis;
Stramineáſque trabes, & parvæ vellera lanæ,
Aut molles plumas, teneris cunabula Natis,
Conquirunt, roſtríſque ferunt ad pendula tecta.
Interea lateres, ſed non & verbera, ceſſant;
Nec proſunt quicquam miſeræ juſtæque querelæ.
Sudant, cæduntur, plorant, nec quid datur ultrà;
Súntque rei vultus, & habent ſuſpiria crimen.
Ergò iterum ad Regem tendunt, abitúmque repoſcunt
Amramidæ fratres. *Pharao* ſed, fervidus irâ,
Quæque fides illis ſit, quæque potentia, quærit
Numinis ignoti, quæ tantos vindicet auſus.
Tum *Moſes*; En dextram, en ipſa Sigilla *Jehovæ*.
Projecítque ſimul Virgam. At (mirabile viſu!)
Vix terram tetigit, cùm, attollens flexile collum,
Jam Serpens, traxit ſinuoſa volumina dorſi;
Ardeſcénſque oculis, & vibrans ſpicula caudæ,
Intentátque minas, ac toto ſibilat ore.
At *Pharao*, quanquam conſpecto exhorruit angue,
Incantatores *Jannem Jambrém*que vocabat,
Ut verum falsâ mirac'lum eluderet arte,
Indigeníſque diis veteres ſervaret honores.
Hi, tacitè veterem Serpentem in vota vocantes,
(Fallere mortales ſolitum ſub imagine veri)
Exuvias veteres ſolitáſque reſumeret artes,

Projiciunt virgas. Tum virgis ecce colubri
Suffecti veri ſubductis ; indita virgis
Vel potiùs ſpecies oculos perſtringit, & omnes
Serpentum flexus variè mentitur, & iras.
Verùm turba Magis plauſum dum fortè parabat,
Actutùm falſos (en) verus devorat anguis,
In nihilum redigens, virgæ formámque reſumit.
Nondum at Virga valet *Pharaonis* flectere mentem:
Hanc ergò *Moſes*, monitu juſſúque *Jehovæ*,
Vibrari jubet. Illa *Ægyptum* vulnerat omnem,
Omnis & in fœdum converſa eſt unda Cruorem.
Horruit, innocui malè conſcia ſanguinis, unda,
Erubuítque ſimul. Jam flumina ſanguinis ibant ;
Quin & ſe fluctus fugiúntque fugántque viciſſim.
Ipſe ſuum *Nilus* neſcit defendere numen ;
Miratúrque novos fluctus, atque abdicat undas ;
Et ſeptemgemino tetrum vomit ore cruorem.
Non bibit, at fugit ipſe ſuas Crocodilus arenas,
Atque croco plùs rubra timet (neque reſpicit unquam)
Flumina, purpureo vidit quæ creſcere fluctu.
Crudelem gentem meritò potare recuſat,
Sanguinis innocui ſitientem, fœtidus humor ;
Servorúmque cibos corrumpunt flumina piſces.
Quin fluvius talis ſi pergeret arva rigare,
Strigoſæ pecudes iterúmque hæc arva tenerent,

Nec

Nec ſpicam inveniant qui nunc quoque ſtramina poſcunt.
Hoc etiam ſimulare Magi, plaudente Tyranno;
Nec potuit Sanguis mollire adamantina corda.
Quocirca Omnipotens iterum protendere virgam
Mirificam Fratres juſſit. Quando, ecce, repentè
Cuditur in Ranas *Nilus*; per ſtagna lacúſque
Quod cruor antè fuit ſaltantes induit artus,
Et ripas ſuperans totis infunditur agris;
Diluviúmque novum patitur *Memphitica* tellus.
Nec domus ulla fuit ranis immunis ab iſtis.
Turba coaxantûm regales occupat ædes;
Quinetiam invadit thalamos lectúmque Tyranni,
Ac dulces raucis ſomnos clamoribus arcent.
Qualiter in populi fæce eſt ſi quando coörta
Seditio, ſævítque animis ignobile vulgus,
Nullus eis pudor eſt, non illos purpura Regum
Continet officio, aut legum, jam ſpreta, poteſtas;
Regibus inſultant, aures clamoribus implent,
Turpia de plenis fundunt convitia buccis,
Nil non audentes, poſſunt quia temnere vitam:
Haud aliter ranæ; contactu quæ omnia fœdant
Immundo. fruſtrà multus rigidúſque Satelles.
Seditioſa cohors tota bacchatur in Aula.
Non tulit hanc ſpeciem *Pharao*: namque arte valebant
Hanc augere Magi, ſed non depellere peſtem.

Tum jubet accersi *Mosen*, suppléxque petebat
Auferat ut Ranas, abitúmque paciscitur ultro.
Ut verò ablatas sensit, pestémque remotam,
Cor iterum obdurat, promissáque vana resorbet.
Hactenus Unda tulit sacræ miracula Virgæ;
Proxima Terra subit. quæ, vix percussa, ministrat
Innumeras acies peditum; qui, pulvere creti,
Natales poterant Regi objectare superbo.
Cui modò sunt fratres, poterant tamen esse nepotes;
Namque hominum similes producunt corpora vermes.
Infestat pecudésque hominésque hæc turba molesta;
Quin Regi sese insinuat mendica caterva,
Atque opicis fodicant rostris regalia membra.
Non Majestatis crimen, non serica vestis
Absterrere potest. quin stat torquere Tyrannum;
Nec missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.
At, quamvìs harum *Pharaoni* copia rerum
Magna satìs fuerit, *Mosi* tamen usque repugnans,
Atque Deo vero nolens concedere numen,
Vult artes magicas similes producere Vermes.
Officiosa cohors operi se accingit, & omnes
Intendit nervos, Erebúmque in vota vocantes,
Ter sunt conati similes producere vermes,
Ter lusêre operam. Quanquam non carmina desunt,
Carmina nil prosunt. languent; neque quid datur ultrá.
Dedecus

Dedecus hoc erit æternum criménque Magorum.
Succubuit Dæmon, vel ſe quoque judice, victus,
Agnovítque ſimul, *fuit hæc manus Omnipotentis.*
Incantatorum ſileat miracula *Memphis*;
Nec *Pharao* poſthac magicas exerceat artes.
Vicit (Io!) tandem Magnus Sanctúſque *Jehova.*
Sed nondum vicit *Pharaonis* ſaxea corda.
Protinus ergò Aër Muſcarum fundere nubes;
Quæ ſubitò ex oculis tollunt Solémque diémque.
Non gens una fuit; totus conſcribitur aër;
Cuique ſuus lituus, cum multi-coloribus armis.
Incubat *Ægypto* mox (ecce) volatile bellum;
Utque priùs cœlum, nunc terram contegit omnem,
Inceſtans cunctos hominúmque boúmque labores.
Pars intrans humiléſque caſas, turréſque ſuperbas,
Involat in faciem Dominis. non lumina, non his
Ora vacant; dum quis reſpirat, & attrahit hoſtem;
Præſentémque viris intentant ſpicula mortem.
Pars pecora invadunt; œſtris quæ percita diris
Diffugiunt, longíſque implent mugitibus auras.
Tùm Rex acceſſit *Moſem*, &, quaſi cedere viſus
Sacra Deo ut faciant, ægrè concedit Eremum;
Orat at enixè peſtes averteret iſtas.
Annuit Omnipotens *Moſi*, peſtémque removit.
Sed non promiſſis ſtabat Rex perfidus. Ergò

Ecce malum gravius, multóque nocentius illis.
Illa etenim, fœda ut fuerint, ſatìs atque moleſta,
At ſæviturì tantùm præludia belli:
Hoc tulit exitium, & non evitabile fatum.
Nam ſubitò (en) pecudum venas imáſque medullas
Intrat dira Lues, ſævítque in corpore toto.
Nec mora, corripiunt præcordia dira venena,
Et pecudum omne genus campis exſpirat apertis.
Hinc bellator equus, lætis dum paſcitur herbis,
Lethale accipiens telum, ſine voce tubarum,
Concidit exanimis, vitámque relinquit inultam.
Hinc oneri, mortíque ſimul, ſuccumbit aſellus.
Nec labor aut benefacta valent prodeſſe juvenco;
Nam ſpumis miſtum fumans vomit ore cruorem,
Ac medio ſulco moriens procumbit humi bos.
Quin & lanigeræ pecudes, dum gramina carpunt,
Peſte cadunt, toſtáſque animas ſine crimine reddunt.
Aſt *Hebræorum* nullæ moriuntur in agris;
Nec muſcæ obfuerant pecori, pecoríſve magiſtris.
Nempe Deus certâ librat ſua fulmina dextrâ,
Nec ſinet ille ſuos alieno vulnere lædi:
Peſtis & ipſa Dei populum diſcernit ab hoſte.
Noverat hoc *Pharao*, rémque exploraverat omnem;
Non tamen abſtinuit: Domino manet uſque rebellis.
Felix alterius didicit quicunque peric'lis
Poſſe

Posse carere suis, propriúmque avertere fatum.
Innocuæ pecudes hominum delicta luebant,
Et documenta dabant, nè pergat temnere Numen.
Sed quoniam humanas nequeunt ea flectere mentes,
Ipse reus meritas persolvet corpore pœnas.
Ergò in conspectu Regis, jussúque *Jehovæ*,
Moses (ecce) manu cinerem spargebat in auras
Adversus cœlum. cineri cœlum indidit iras,
Pestiferam & rabiem; quin & simul addidit alas,
Jussit & hunc totas *Ægypti* ferre per oras.
Continuò invadit pecudésque hominésque venenum,
Ulceribus fœdis cunctorum membra perurens.
Haud majus *Libycis* homines exercet arenis
Tormentum, quoties inflixit vulnera prester,
Quàm modò *Niliacos*; Furiæ quorum ulcera dira
Exagitant fodicántque atro stillantia tabo.
Ulceribus pleni, præ morbo, præque pudore,
Non valuêre Magi coram consistere *Mose*.
Sed neque Rex erat ipse malis immunis ab istis.
Nempe, (scias) *Pharao*, dedit hæc tibi munera fornax,
Sic *Hebræorum* crudeles ulta labores.
Sed nequiit durum fornax mollire Tyrannum,
Nec solitum curare cutem cor ulcera curant.
Forsitan at duram motura Tonitrua mentem,
Hactenus ad cunctos quamvis occalluit ictus;

Et, quem non digitus, moveat vox Omnipotentis.
Mirificus Regem Vates, (ut ſæpius antè)
Ni tempeſtivè ſapiat, magnáſque nováſque
Tempore ſignato venturas præmonet iras;
Diſceret ut certâ mundum ratione moveri,
Et cuncta ad nutum fieri placitúmque *Jehovæ.*
Proxima ſurgebat tenebris aurora fugatis,
Aſpersítque diem rebus; tenet omnia riſus,
Lætáque ſylvicolæ modulantur carmina Muſæ.
Sola ſuis *Philomela* modis inſiſtit, & addit
Luctibus, inſtantis quaſi jam ſibi conſcia fati;
Funeris atque ſui ceu præfica triſtè canebat.
Quum ſubitò cœlum nubes (en) occupat atra,
Involvítque diem totum; partéſque per omnes
Cæcum murmur diſcurrítque animátque manip'los,
Exacuens iras; ſolet ut leo verbere caudæ.
Ut primùm at fuerant Virgæ data ſigna, repentè
Irruit in terras cœlum, cœlíque ruinæ;
Haud aliter quàm ſi fractus ſuccumberet axis.
Scilicet horrifico cœlum tonat omne tumultu,
Et Tonitru ruptis diſplodit nubibus æther.
Utque ubi diſpoſitas acies nova machina belli
Impetit, ac denſas perrumpit fulmine turmas,
Cum ſonitu glandes, ac miſtos glandibus ignes
Evomit: haud aliter vibratus ab æthere Fulgor

Cum

Cum tonitru venit, ac immanis Grandinis imber.
Nec vanus fulgor, ſed vivax flamma per omnes
Diſcurrit campos, intérque ruentia tela
Interjecta furit, ſacráſque ulciſcitur iras.
Sed neque grando fuit, qualem risêre puellæ,
Increpitat quoties tectis, patuláſque feneſtras
Intrans innocuè coràm ſubſultat in aula:
At grandes lapides, mortis certiſſima tela;
Quales non unquam vidit *Memphitica* tellus,
Nec cœlum *Ægypti* tulit ex quo tempore primùm
Æquoreas *Nilus* ſe præcipitavit in undas.
Non lapis immenſus *Balearide* tortus habenâ
Tantum mortis habet. Lapidoſæ grandinis ictu
Hordea perduntur, perierunt gramina campis,
Arboribúſque comæ; volucrum gens atque ferarum;
Et pecudum quicquid campis errabat apricis;
Atque viri, ſi qui monitis parére recuſant,
Nec curant ſeſe juſſis abſcondere tectis.
    Horrores iſtos oculis atque auribus hauſit,
Contremuítque ſimul genibúſque animíſque, Tyrannus.
(Ut quondam, à *Caliga* duxit qui nomina, fertur
Sub lecto tonitru metuens trepidâſſe Tyrannus.)
Tunc *Moſi* criménque ſuum, criménque ſuorum,
Numinis & juſtas iras, plagáſque fatetur;
Ac ſe pollicitus juſſis parére paratum,

590.

Tantùm orat velit ut talem depellere peſtem.
Contendit precibus *Moſes*, precibúſque *Jehova*
Annuit, ac cœlum tempeſtatéſque ſerenat.
Senſit ut hoc *Pharao*, ſilicem criménque reſumit:
Ceſſat ut automati, ſublato pondere, motus;
Et ferrum candens induruit igne remoto.
Ah miſera *Ægyptus!* nec dum ſaturata peric'lis?
Diluvio ex iſto paullatim emergere cœpit,
Spémque novam meſſis promittere naufragus annus.
Triticeam ſobolem nunc Sol producit in auras,
Quam nuper tellus, indulgentiſſima mater,
Abdiderat gremio, metuens à grandinis ira;
Sub foliíſque novis fructus modò parturit arbos,
Lætáque cum miſeris decîdunt arva colonis.
Juſſus at (en) *Moſes* celeres virgâ evocat Euros,
Qui ſubitò innumeras apportavêre Locuſtas.
(Tales *Ægyptus* nunquam conſpexerat antè,
Venturis annis nec erat viſura locuſtas.)
Quæ caput armatæ galeis, pectus cataphractis,
Viſæ ſunt equitum ſpeciem præferre volantûm,
Ponderi inæquales dum ventus ſublevat alas.
Protinus invadit populatrix turma tenellas
Arboreas frondes; tum fructus devorat, & quas
E poſtliminio tellus produxerat herbas;
Ac ſpes triticeas, & quicquid grando reliquit

Graminis

Graminis & fructûs. ipsæ periêre ruinæ.
Ingens agricolas hinc desolatio cepit;
Omnia perdiderant, nec spes erat ulla renasci.
Ægyptus nec tota in prædam sufficit hosti;
Quin etiam tecta invadunt ut pabula quærant,
Instantésque viris ora esurientia pandunt.
Commovit Regem facies tristissima rerum,
Adque preces miseras iterum decurrere cogit.
Quocirca Omnipotens, (quamvìs hunc sæpius antè
Expertus falsum, vanum sciretque futurum)
Fortibus emissis Zephyris, auferre locustas
Jussit, *Erythræo* & cunctas demergere ponto.
Nec reliqua est (mirum!) de tot modò millibus una.
Lætatur *Pharao* tantâ sic peste levari,
Ignarus *Pharios* equites quæ fata manerent,
Nec metuens pariter fore se quoque piscibus escam;
Atque iterum cor indurat, neque jussa capessit.
Hactenus Omnipotens, telis levioribus hostem
Aggressus, pisces, pecudes, servósque peremit;
Annonámque omnem, & quæ nascebantur in hortis
Numina perdiderat; veterum memor usque minarum,
Queîs primogenitos se perdere velle minatus.
Státque immota fides, & cunctos tollere certum est,
Ni sapiat *Pharao*, & Populo concedat Eremum.
At priùs (en) statuit Tenebras offundere terris;

Quæ cæcas moveant mentes, moneántque futurum
Funus, ut & quales illas post fata manerent
Terrores, tenebræque, & inenarrabilis horror.
Protendit virgam *Moses*, Erebúmque recludit.
Tum Nox *Ægypto* viscosis horrida pennis
Incubat, involvens piceâ caligine terram;
Qualem *Cimmeriæ* nunquam sensêre paludes:
Fingere nec tales bene sustinuêre Poëtæ,
Stagnantes tenebras, dibapham caligine noctem;
Quam tres conati nequiêrunt vincere Soles.
Namque ter in tenebras vibrabat lumina Titan;
Lumina ter tactis subitò periêre tenebris,
Quæ nulla admittunt solatia luminis; ignis
Confestim exspirat nigro carbone sepultus.
Omnibus abstulerat rebus nox atra colorem.
Inducti peplis cuncti, tenebrísque sepulti,
Cernere nil possunt, nec quà vestigia flectant.
Quóque loco fuerat deprênsus, quisque manebat;
Trésque dies totos in eadem sede moratur.
Crassior est solito & vix respirabilis aër.
Ipsa manus spissas potuit sentire tenebras.
Interea ultrices malè conscia pectora curæ
Exagitant Furiis, & cæco verbere cædunt.
Credibile est propriis intérque fuisse tenebris
Tartareos fratres, & concussisse catenas.

Ingens

Ingens *Ægyptus* carcer, tenebræque catenæ.
Aſt *Hebræorum* non deerat lumen in oris.
Ut primùm viduas terras lux alma reviſit,
Ægyptum Ægypto reddens, vitámque ſepultis;
En, *Pharao*, quanquam fuerat jam peſte levatus,
Ulteriora tamen metuens, licitatur, ut antè;
Nec pretio redimi nimio vult séque ſuóſque.
Sacra Deo ut facerent Populo conceſſerat olim;
Immò in deſerto, longè ni fortè recedant;
Deinde & Cultores cedit, ſed non niſi adultos;
Nunc etiam totam ſobolem. aſt armenta gregéſque
Pernegat abduci; vult hæc ſibi præda ſuperſint.
Cedere nil ultrà certum eſt. hîc terminus hæret.
Ergò aditu *Moſem* prohibet, mortémque minatur,
(Affirmátque minas *Moſes*) ſi deinde reviſat.
Sic poſtquam multis induruit ictibus incus,
Vel chalybem illiſam confringit vena rebellis.
Ultima jam reſtant ac decretoria tela,
Queîs Deus hoſtilis rumpétque repagula terræ,
Et Regem franget, belli nodúmque morámque.
Jámque aderat nox illa, Deo ſacranda per ævum,
Quæ foret *Hebræis* longè celeberrima Faſtis;
Quâ Deus eriperétque ſuos de gente ſuperba,
Ac *Peluſiacas* impleret funere terras.
Contigerant medium volventia ſydera curſum,

Et conſanguineus lethi ſopor altus habebat
Mortales reliquos; at, Sacris ritè peractis,
Accincti ſtabant proles dilecta *Jacobi:*
Cùm ſubitò ſummo delapſus ab æthere lictor,
Sidereo flagrans clypeo, & cœleſtibus armis,
Peſtiferum vibrat gladium per ſingula tecta;
Et Primogenitos omnes pecudúmque hominúmque
Conficit actutùm, quot habet *Memphitica* tellus.
Aſt *Hebræorum* luſtratas præterit ædes,
Ut vidit ſacro reſperſos ſanguine poſtes,
Magnáque præteriens myſteria pronus adorat.
Interea ſonuêre cavæ plangoribus ædes,
Lamentis, gemitúque, & fœmineo ululatu.
Conſonat omnis ager, reſonat clamoribus æther,
Ac tota *Ægyptus* confusâ voce remugît.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? *Hebræi* populi vel gaudia pandat?
Nam *Pharao*, excìtus tanto terrore, cubili
Emicat, & *Moſi* pecudes, puerósque, virósque,
Omnia concedit. quin & jubet ocyùs omnes,
Fauſta ſibi optantes, *Phariâ* diſcedere terrâ;
Præcipitátque moras. Felix, ſi cedere primùm,
Tótque carere malis, dum res erat integra, nôſſet.
At *Pharii Iſraële* ſatos urgéntque rogántque
Maturare fugam, nè pergat peſtis in omnes

Deſævire

Desævire domos, ac totam perdere gentem.
Nec piget ablatas gemmas, vestésque superbas;
Nec spoliis caruisse grave est, modò vita supersit.
(Hæc jubet auferri rerum cui summa potestas,
Omnia pro libitu cunctis qui donat & aufert,
Hæc eadem statuens olim sibi sacra futura.)
Sic tandem, post tot fastidia, damna, dolores,
Prægnans *Ægyptus* parere & parére coacta est;
Ac primogenitam gentem est enixa Tonanti.
Ergò illi effugiunt aliorum hortatibus acti,
Prolubióque suo, tenebris famulantibus ipsis:
Nec proficiscentes catulus latratibus urget,
Quanquam non parvo strepitu rapiúntque ruúntque.
Agmine procedunt longo sexcenta virorum
Millia, qui matres secum, pueróśque, gregésque
Innumeros ducunt; quin & spolia ampla reportant.
Dúxque viæ Deus ipse præit; qui nube coruscâ
Hinc noctem, indè diem, flammâ solatur, & umbrâ,
At veluti elapsos vinc'lis durísque catenis
Captivos miseros, séque evasisse putantes,
Insequitur custos, iterúmque ad vinc'la reposcit:
Sic *Pharao Isacidas*, quamvìs discedere jussos,
Nunc revocare cupit, *Phariis*que reponere terris;
Ereptámque dolens pinguem de faucibus offam,
E postliminio repetit quos nuper abegit,

Perfidus, ingratus, non exorabilis, acer,
Præfractus, faſtu inflatus, crudelis, avarus,
Contemptórque Dei, nullo emendabilis ictu.
Non mala tot paſſum fecêre pericula cautum;
Non modò ſublatus mediis penetralibus hæres.
Si cor non vecors, ſi mens non læva fuiſſet,
Si non eſſet avara mali, ac pertæſa ſalutis,
Deſineret tandem. Sed nullas audit habenas
Devotum exitio caput, in ſua fata ruentis.
Urget dira fames & amor ſceleratus habendi.
Qualiter inſutam binis alvearibus urſo
Ruſticus objectat felem, parvâque feneſtrâ
Mella linit, (generi urſino gratiſſima mella)
Illecebram pugnæ, neque parvo vulnere cara;
Urſus, ſtramineas ædes dum ſæpe volutat,
Ingerit extenſam comperto nectare linguam:
Improba ſed felis, ſolitâque tyrannide ſæva,
Quando aggreſſorem ſentit jam cominùs hoſtem,
Unguibus hamatis lacerat crudeliter ora,
Lancinat & multo ſtillantem ſanguine linguam.
Is fugit armatáſque dapes, hoſtémque latentem,
Ac totas implet fœdis mugitibus auras,
Sanguineáſque dapes odit, longéque recuſat;
Nec tantas meminit violati examinis iras.
At ſimulac torto reſpexit lumine mella,

Paullatim

Paullatim misero jam decrescente dolore,
Vincit amor prædæ, pugnámque redintegrat ursus:
Ac læsus toties iterúmque iterúmque recursat,
Mella vorans, quamvìs proprio commista cruore.
Haud aliter *Pharao.* qui, postquam acceperat omnes
Hebræas trepidante metu fugisse catervas,
Implicitásque viis sperans per senta locorum,
Sexcentos agiles currus, equitúmque parari
Innumeras turmas jussit; quos ocyùs omnes
Secum in bella rapit, fugientíque imminet hosti.
Interea *Isacidæ* Rubri sub litore ponti
Hinc atque hinc saxis inclusi castra tenebant.
Quos ubi conspexit captos quasi retibus omnes,
Deprênsósque loco *Pharao*, vi fervidus instat;
Spéque avidus totam jam cepit pectore prædam.
Nec minor *Abramidas* metus & trepidatio cepit,
Instantes *Pharias* cum conspexêre catervas.
At Deus, afflictis solitus succurrere rebus,
Propositíque tenax, fidei certissimus obses
Tam relevare humiles, quàm præcipitare superbos,
Sæpiùs & quærens dignum se vindice nodum,
Hos interpositâ tutatur ab hoste columnâ;
Quæ lucem his præbet, sed noctem duplicat istis.
Sic iter accelerátque suis, hostémque moratur:
Sic fovet ille suos simul & tutatur amicos;

Non aliter pullos matris quàm protegit ala.
  Pergere tunc *Mosen* jubet, atque aperire profundum
Protensâ virgâ. validi cùm protinus Euri
Accurrunt, adnixi humeris fluctúsque retrudunt.
Tum subitò (horrendum visu, ac mirabile dictu!
Mirum, quod non ulla satìs mirabitur ætas!)
Finditur Oceanus; latè divellitur unda;
Panditur & medio terrestris semita ponto:
Semita, quam nunquam lustrârat lumine *Phœbus*.
Quæque priùs fuerat ratibus spoliísque sepulchrum,
Nunc iter *Isacidis* tutum præbebat arena,
Et planum, quamvìs nullo curata cylindro.
Stant utrinque altæ, murus crystallinus, undæ;
Certatim & fluctus cumulum tolluntur in altum;
Mirantúrque suis quis finibus ambulet hospes,
Depositum cœlorum, & Magni cura Tonantis;
Accipiúntque sinu vasto populúmque Ducésque,
Exponúntque omnes ripæ ulterioris in ora.
  Sed non & *Pharium* sic tractavêre Tyrannum;
Qui calcare viam, stulto temerarius ausu,
Non sibi concessam voluit, mediúmque tenebat
Jam maris. At *Moses*, iterum protendere virgam
Jussus, laxatas undis concedit habenas.
Confestim horrifico miscetur murmure pontus,
Æstu convulsus rapido, atque ruentibus undis;

Qui

Qui *Pharios* involvit equos, currúſque, viróſque,
Fruſtrà obluctantes, fruſtráque in vota vocantes
Vel *Moſen*, *Moſiſ*ve Deum. Nil vana Tyrannum
Nunc promiſſa juvant. Omnes perduntur ad unum;
Expertíque Duces, tota & delecta juventus:
Nec reſtat quiſquam tanta de clade ſuperſtes;
Litore ſed latè ſternuntur lumine caſſi,
Mortui & hoſtilis ſaltem potiuntur arenæ.
Vidêre *Abramidæ*, ſummo jam litore tuti:
Vidit & hæc *Moſes*, Summo ſub Numine victor;
Ac tales grato profudit pectore voces.

ʼΕΠΙΝΙʹΚΙΟΝ.

" CArminibus Summi nomen celebrabo *Jehovæ*:
" Namque Is magnificos duxit lætóſque triumphos.
" Ille equites & equos demerſit gurgite ponti.
" Ille mihi robur, carménque, autórque ſalutis.
" Eſt Deus Ille meus; cui mox habitacula condam:
" Et patris Ille Deus; quem cantu ad ſidera tollam.
" *Jôva* eſt armipotens, (huic nomen nempe *Jehovæ*)
" Qui *Pharii* Regis currus, turmáſque ſuperbas,
" Selectóſque Duces Rubris demerſit in undis.
" Hauſit eos gurges; fundum petiêre repentè,
" Ut petere ima ſolent immani pondere ſaxa.
" O Deus Alme, Tua eſt inſignis robore dextra;
" Quæ modò præfractos in fragmina contudit hoſtes:

" Viribus atque Tuis fuſi cecidêre rebelles,
" Quos vibrata Tui conſumpſit flamma furoris,
" Arentem ſtipulam rapidus ceu devorat ignis.
" Undas ipſe Tui cogebat ſpiritus oris:
" Stabant erecti fluctus, velut agger aquarum;
" Atque, gelu veluti, riguerunt viſcera ponti.
" Inſequar, aſſequar, & ſpoliabo, dixerat hoſtis;
" Infligam quodcunque lubet, dictante furore;
" Invadam ſtricto gladio; dextrâque potenti
" Ad lateres iterum profugos furnóſque reducam.
" At Tu, Magne, Tui ſpirabas flamine venti:
" Mox tumidos tumidis operibat fluctibus æquor,
" Involvens unà Regem, gentémque ſuperbam,
" Rectà, ceu plumbum, qui præcipitantur ad imum.
" Quis fortes inter Te, Maxime, laudibus æquet?
" Quiſve Tui ſimilis, Sanctis celebrandus, & idem
" Laudibus horrendus, faciens miracula rerum?
" Dextram extendiſti, merſóſque involvit arena.
" Tu(Bonus)edûxti Populum hunc; Tua dextra redemit;
" Adque Tuas ſanctas ductavit fortiter ædes.
" Audiet hæc populus longè, multúmque tremiſcet:
" Ipſe *Palæſtinæ* terrebitur incola terræ:
" Quin & *Idumæos* Satrapas ſtupefecerit horror;
" Quótque *Moabus* habet fortes trepidatio prêndet;
" Et *Cananæorum* cunctorum corda liqueſcent.

" Hos timor ac terror cunctos invadet, & omnes
" (Te cogente animos) immoti ut ſaxa quieſcent,
" Donec *Jordanis* Populus transiverit undas ;
" O Deus Alme, Tuâ Populus virtute redemptus.
" Tu (Deus) inductum hunc Populum plantabis in ipſo
" Monte Tuo, montes omnes ſuperante, *Sione* ;
" Quem Tibi perpetuo ſtatuiſti jure tenendum.
" Nempe loco, quem mox habitandum, Magne *Jehova*,
" Tu Tibi deſignas, mundo naſcente paratum,
" Sedibus in ſanctis, Tua quas Tibi dextera fixit.
" Plantatóſque reget per ſecula mille *Jehova*.
" Ille etenim *Pharios* equites, Regémque, Ducéſque,
" Currúſque inductis demerſit fluctibus omnes.
" Ille ſuo Populo, nato de ſtirpe *Jacobi*,
" Tutum iter & ſiccum mediis præſtabat in undis.

Hæc in *Erythræo* cantabat litore Vates,
Gaudentis Populi circumſtipante coronâ ;
Atque triumphato juvat evaſiſſe Tyranno.

Gloria in excelſis per ſecula mille Jehovæ,
Qui Dux, qui Vindex, quique Columna ſuis.